

Tertius de Anima.

cessive bonus et malus quod si concedas sequitur quod ad actum bonum non requiritur speciale auxilium sicut nec ad actum malum cum quo est idem. Si dicas ex hoc diminuitur libertas. Dicendum quod non. Beati enim non sunt minus liberi nec deus licet non possint peccare nec adam ante peccatum erat minus liber quam nos et tamen in statu innocentie non potuit peccare venialiter secundum Sanctum Thomam.

Item non repugnat in actu voluntatis esse quendam necessitatem immutabilitatis quia in deo est actus voluntatis quo vult et diligit se et non potest esse oppositum eius. Sed circa ista dubitatur an ante actum voluntatis requiratur iudicium intellectus vel sufficit simplex apprehensio videtur quod simplex non sufficit quia philosophus dicit in tertio de anima quod vniuersalis opinio non mouet et tamen ibi est apprehensio et idem ponit Sanctus Thomas prima parte questio. lxxx. articulo secundo ad tertium. Item philosophus dicit quod fantasia non est idem quod opinio. Sed est simplex apprehensio ex qua non sequitur passio in appetitu. Item actus libertatis est electio sed electio pro formali est actus intellectus et non simplex apprehensio ergo presupponit aliquod iudicium Sanctus Thomas prima secunde questio. decimatercia articulo primo vno sepiissime supponit consilium ut patet ibidem etiam in deo supponit iudicium Sanctus Thomas de veritate. questio. xxiii. articulo tertio ad quartum.

Item nullus fertur in malum nisi per errorem et ideo Sanctus Thomas dicit angelum non potuisse se peccare in primo instanti de veritate. questio. xxix. articulo. vii. ad secundum. Item intellectus practicus est principium motus talis autem non est simplex apprehensio.

Item sequitur volo deum non esse ergo apprehendo deum non esse. Sed apprehendere deum non esse non est sine falsitate quia hoc est propositio falsa. Ad idem videtur Sanctus Thomas in. iiii. distin. xxx. questio. prima articulo primo ad primum.

Item videtur saltem quod non sit peccatum mortale in voluntate nisi precesserit plenum iudicium in intellectu.

Item ideo dicitur liberum arbitrium quia arbitrium et iudicium electionis precedit Sanctus Thomas de veritate. questio. xxiii. articulo. ad primum. xvij. et articulo. sexto.

Item de malo. questione. iij. articulo. ix. ad septimum. vnde doctores dicunt quod iudicium imperfectum et in vniuersali non sufficit ergo nec apprehensio simplex. Alii autem communiter tenent quod ad motum sensualitatis vel male volendum sufficit simplex apprehensio. Si autem primum peccatum angeli precessisset error quod iudicasset illud quod fecit esse bonum. Et ideo dicunt quod in ipso non fuit nisi simplex apprehensio. Sed contra per Sanctum Thomam de malo. questione. xv. articulo. sexto. ad undecimum et de veritate. questio. xviii. vi. ii. in simplici apprehensione angeli est veritas vel falsitas quia in ipsis nec est compositio nec diuisio ergo ex hoc non euaditur quin in angelo fuerit error ante peccatum et eodem modo dicitur de adam.

Item si simplex apprehensio sufficit ad malum ergo etiam ad bonum. patet consequentia quia nullus est actus indifferens per nos velit ergo sortes honorare parentes ex simplici apprehensione sine alia mala circumstantia. tunc queritur vel iste actus est bonus vel malus. si primum tunc datur actus virtutis sine prudentia et sic virtutes non erunt conexe. For

te dicitur quod datur actus inde liberatus voluntatis indifferens quia Sanctus Thomas in quarta. dist. ix. questio. prima articulo. quarto questio. prima ad quartum ponit in dormiente consensum voluntatis nec bonum nec malum et de veritate. q. xxviii. ar. iij. ad. vi. et de malo. q. xvj. iij. ix. ponitur ve illeitas indifferens aliquod tamen tale est peccatum ut si contingat me peccare nolo penitere. xxij. q. xiiij. ar. iij. iij. Aliter probant quidam hanc opinionem quia aliquis potest agere contra conscientiam ergo ad agendum sufficit simplex apprehensio. Item positus in igne de necessitate tristatur secundum multos absque iudicio et primum actus voluntatis vel subitus motus non requirit iudicium quia est indeliberatus. Sed alij dicunt quod est ibi iudicium quo iudicatur hoc esse bonum quod voluntas nichil vult nisi sub ratione boni. Alii dicunt quod est ibi simplex apprehensio boni ut volens furari apprehendit rem alienam et cum hoc apprehendit rationem boni sed non componit ista et ideo non est ibi falsitas nisi forte sicut in hoc complexo homo irrationalis. Secunda opinio communior est. Secundo dubitatur supponendo quod in voluntate ut dictum est. Est quidam actus naturalis quo vult beatitudinem in vniuersali et actus quo diligit beatitudinem. qui tamen est meritorius. Queritur ergo utrum dilectio naturalis et dilectio meritoria sint eiusdem speciei nature videtur quod appetitus naturalis vel prima volitio finis aliquando est meritoria et aliquando peccatum quia volendo beatitudinem vult eam in aliqua re vnde actus ille naturalis quo ad exercitium non est necessario elicitus vide Sanctus Thomas de veritate. xxij. q. articulo. vij. Quibusdam videtur quod solum differunt per extrinsecum quod dicitur meritoria ex hoc quod deus acceptat et sunt circa idem obiectum si circa deum. Forte dicitur quod etiam differunt ex parte principij. quia dilectio dei meritoria est a caritate. Naturalis autem a sola voluntate. Sed contra in habente gratiam dilectio naturalis est meritoria quia nullus actus voluntatis est indifferens ergo est a caritate.

Item per Sanctum Thomam de veritate. questio. xiiij. j. secundum. esse a caritate non variat speciem nature actus enim iustitie est eiusdem speciei nature in habente caritatem et in alio alias videtur quod quis posset scire se esse in caritate. Si dicatur dilectio naturalis et dilectio meritoria non eliciuntur ab eodem habitu sicut nec cognoscere deum per fidem et cognoscere deum ex puris naturalibus. Item cum naturali dilectione stat odium deliberatum eiusdem vnde naturaliter desideramus scire tamen stulti odium illud illud autem odium contrariatur dilectioni deliberate.

Item Sanctus Thomas prima parte questio. vij. articulo. primo ponit duas dilectiones scilicet electiuam et naturalem. Ideo alij dicunt quod dilectio dei meritoria habet pro obiecto deum ut est obiectum beatificum et ideo specie differunt a dilectione dei naturali qua diligitur deus ut est principium nature. Sed de his alias. Posset queri an operationes voluntatis facte per ignorantiam vel metum sint libere vel inuoluntarie. Sed de his videatur Sanctus Thomas. xij. et quomodo voluntas potest necessitari. Capreolus in. j. et an homo necessitatur ad peccandum venialiter quia non possumus evitare omnia venialia. Et quomodo dampnati non possunt suspendere actum voluntatis dato quod anima sit vnita corpori. Alias dicitur an hoc pueniat ex natura rei et